

**LITTERAE APOSTOLICAE****I****Venerabili Servo Dei Ioanni Paulo I, Papae, Beatorum honores decernuntur.****FRANCISCUS PP.**

Ad perpetuam rei memoriam. — «Dominus potissime commendavit: humiles estote. Etsi maximi momenti opera fecistis, dicite: servi inutiles sumus» (Audientia Generalis, die VI mensis Septembris, anno MCMLXXVIII)

«Una cum apostolo Paulo profecto possumus dicere Dei gratiam in eo vacuam non fuisse (cfr *1 Cor* 15, 10); probavit quidem suae distinctae virtutes intellegentiae atque studiosam caritatem erga Ecclesiam et hominem. Dum Deo gratias agimus pro dono huiusce magni Papae, Nos vires impendimus magisterium eius veluti thesaurum aestimare». Hoc modo Summus Pontifex Benedictus XVI locutus est die III mensis Augusti anno MMVIII, in salutatione Angelica, cum Decessorem Nostrum Venerabilem Servum Dei Ioannem Paulum I commemoravit. Vere eum actio gratiae alte signavit, animam christianam dans eius humanis qualitatibus easque ad cacumen perfectionis conducens.

Venerabilis Servus Dei Ioannes Paulus I (Albinus Luciani), Papa, die XVII mensis Octobris anno MCMXII natus est, in vico Furni Canalis prope Bellunum. Anno MCMXXIII Seminario minori Feltriae nomen dedit, quinque post annos, ad illud Bellunense transiit. Itinere formativo perfecto, die VII mensis Iulii anno MCMXXXV sacerdos ordinatus est. Ministerium vicarii et cooperarii in vico Furni Canalis incepit, ut, postea, Coadiutor Agordi eveniret. Anno MCMXXXVII ad Bellunum vocatus est veluti Vices gerens Rectoris Seminarii Gregoriani eodemque tempore praeceptor in classis lycei et theologiae, officium quod exercuit per viginti annorum spatium. Industriam didacticam et institutoriam cum apostolato iuvenum et consociata opera cum hebdomadali dioecesano “Amicus Populi” nuncupato iunxit. Anno MCMXLVII doctoris lauream in theologia adeptus est apud Pontificiam Universitatem Gregorianam, thesim exarans cui titulus dedit: *De origine animae humanae secundum Antonium Rosmini*. Eodem anno Episcopus eius, Excellentissimus Dominus

Hieronymus Bortignon Procancellarium episcopalem eum nominavit. Anno MCMXLVIII Provicarius et Director Officii catechistici creatus est. Anno MCMXLIV successor Episcopi, Excellentissimus Dominus Ioachimus Muccin, Vicarium Generalem dioecesis eum nominavit. Anno MCMLVIII Episcopus Sedis Victoriensis Venetorum creatus est, ordinationem episcopalem recipiens in Vaticano a sancto Ioanne XXIII, Papa. Undecim annis in dioecesi transactis, pastorales visitationes et consuetudines instaurandas cum fidelibus haud parvi momenti existimabat, curam exhibendo de quaestionibus socialibus territorii, quod summi momenti transitum e mundo rustico ad illum industrialem vivebat. Actuosam participationem laicorum in Ecclesiae vita studiose sollicitavit. Magnam diligentiam peculiariter in vita ducenda cleri adhibebat, operae consociatae inter sacerdotes favens, curae sese vocationum et formationis iuvenum sacerdotum dicans. Eodem tempore omnes quattuor sessiones Concilii Vaticani II participavit, eius doctrinam itidemque indicia in dioecesi evulgans. Insuper, sensibilis ad necessitates Ecclesiae universalis, missionarios in Brasiliam et Burundiam misit ubi, tempore autumnii anni MCMLXVI, ipse in visitationem pastorem se rettulit. Die xv mensis Decembris anno MCMLXIX, Patriarcha Venetiarum a Summo Pontifice sancto Paulo VI nominatus est. Die xvi mensis Septembris anno MCMLXXXII, idem Papa, iter ad Congressum Eucharisticum Nationale Utini explens, Venetias invisit et Patriarcham publice honoravit, ei suam stolam imponens, coram multitudine hominum in platea Sancto Marco dicata, antequam cardinalem eum creavit die V mensis Martii anno MCMLXXIII. Venetiis in actum portare doctrinam Concilii Vaticani II est conatus, peculiariter vitae sobrium modum vivendi servans, animadvertens necessitates aegrotorum, pauperum et horum, qui ad mundum opificum pertinebant. Post mortem sancti Pauli VI, Papae, die xxvi mensis Augusti anno MCMLXXVIII Pontifex electus est, nomen eligens Ioannem Paulum I, in obsequium erga duos Pontifices qui eum praecesserunt. Die iii mensis Septembris ministerium supremi Pastoris magna humilitate inauguravit. Tamquam exemplar Gregorium Magnum sequi voluit, in iis quae et ad ipsius magistri et illud moderatoris et pastoris officium pertinebant; eius vestigia secutus est etiam in catechizando, quod coaptare noverat audientium facultates. In catechesibus in quattuor Audientiis Generalibus sui ipsius pontificatus expositis actualitatem et pulchritudinem vitae christianae, quae in virtutibus theologalibus fidei, spei

et caritatis nixa est, proposuit. Die VI mensis Septembris tribus Audientiis in quibus de theologalibus virtutibus tractavit, anteposuit illam Audientiam in qua de humilitate locutus est. Die XXVII mensis Septembris magisterium suum Audientia caritati dicata conclusus est. Die XXVIII mensis Septembris anno MCMLXXVIII in Palatio Apostolico Vaticano necopinante e vita exivit.

Inquisitio dioecesana apud Curiam Bellunensem - Feltrensem, in Italia, die XXIII mensis Novembris anno MMIII incepta est et die X mensis Novembris anno MMVI, post primas Vesperas sollemnitatis sancti Martini, dioecesis patroni, conclusa est. Eius quidem validitas iuridica a Congregatione de Causis Sanctorum die XIII mensis Iunii anno MMVIII per decretum agnita est. Peculiaris Congressus Theologorum Consultorum positivo cum exitu die I mensis Iunii anno MMXVII habitus est. Ordinaria in Sessione diei VII mensis Novembris anno MMXVII Patres Cardinales et Episcopi congregati, Servum Dei virtutes theologales heroicum in modum exercuisse agnoverunt. Quoad beatificationem, mira sanatio postea exhibita est, quam Medici Consultores eiusdem Congregationis in Sessione die XXXI mensis Octobris anno MMXIX ad scientiam inexplicabilem iudicaverunt. Consultores Theologi peculiari in Congressu diei VI mensis Maii anno MMXXI sanationem intercessioni Venerabilis Servi Dei adscripserunt, quam Patres Cardinales et Episcopi in Sessione ordinaria diei V mensis Octobris eiusdem anni verum miraculum agnoverunt. Itaque, Nosmetipsi die XIII eiusdem mensis facultatem fecimus, ut Congregatio de Causis Sanctorum congruum Decretum super miraculo evulgaret atque statuimus, ut beatificationis ritus die IV mensis Septembris anno MMXXII Romae celebraretur.

Hodie igitur Nosmetipsi in Foro ante Basilicam Papalem Sancti Petri immensa adstante multitudine gentium, Beatificationis ritui perlibenter praesidentes, hanc formulam pronuntiamus, qua Venerabilem Servum Dei Ioannem Paulum I (in saeculo: Albinum Luciani) in Beatorum numerum ascripsimus:

Nos, vota Fratris Nostri Renati Marangoni, Episcopi Bellunensis - Feltrensis, necnon plurimorum aliorum Fratrum in Episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Dicasterii de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus, ut Venerabilis Servus Dei Ioannes Paulus I, Papa, Beati nomine in posterum appelletur atque die vicesima sexta Augusti quotannis in locis et modis iure statutis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Decet prorsus insignem hunc caelitem magnificare, qui spiritalem progressum tum enixe tum suaviter ostendit itidemque eximias dedit pastoralis pietatis operositatisque testificationes, Evangelii praecepta in cotidiana vita perscrutans, Christum in fratribus praesentem eiusque Ecclesiam more apostolorum amanti fidelitate sequens. Cum autem illius vitam et pontificatum conspicimus, omnes et singulos christifideles ad sanctitatem et perfectionem in Deo vere quaerendam pie ac benigne cohortamur, ut una cum eo totaque turba sanctorum in Ierusalem caelesti, praecipue cum sancto Petro apostolo cuius in terra Successor fuit, coronam aeternae beatitudinis valeamus consequi Dominique nostri Iesu Christi vultum in aeternum contemplari.

Quae autem his Litteris decrevimus, nunc et in posterum rata et firma esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus.

Datum Romae, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Septembris, anno MMXXII, Pontificatus Nostri decimo.

*De mandato Summi Pontificis*

PETRUS Card. PAROLIN

*Secretarius Status*

Loco ☩ Plumbi

*In Secret. Status tab., n. 590.452*